

DISSERTATIO ACADEMICA

De

TERMINO VITÆ HUMANÆ,

Quam

Ven. Amplif. Fac. Philos. Aboënsis.

Publicæ Censuræ submittunt

S V E N O L E N N A E U S

Phil. Mag. Svecus,

&

J OHANNES E NGSTRAND,

Smolandus.

In Auditorio Minori die XXII Junii MDCCXCVL.

H. ante meridiem C.

A B O Æ,

T Y P I S F R E N C K E L L I A N I S

LIBRARY OF THE ACADEMY

18

LEHRBUCH DER HISTORISCHE

GESCHÄFTSVERFASSUNG

600

LEHRBUCH DER HISTORISCHE

GESCHÄFTSVERFASSUNG

ZUR AUFLEHUNG

DER HISTORISCHE

28

GESCHÄFTSVERFASSUNG

BRUNNEN

ALBANY 1859. IN THE YEAR OF MDCCLXIX.

BY THE AUTHOR.

THE
HISTORICAL
MANAGEMENT

à Monsieur
LE BARON
THIERRI DUWALL,
LIEUTENANT - GÉNÉRAL

Premier Ecuyer à la Cour de Son^e Altesse Royale
La Duchesse de la Sudermannie & Commandeur
des Ordres du Roi.

Monsieur !

Permettez, que cet ouvrage Academique, malgré toute sa foiblesse, soit décoré de Votre très illustre Nom,
& ne refusez l'hommage, que je Vous rends, étant avec
des sentimens de la plus profonde vénération

Monsieur !

Votre très humble
& très-obéissant Serviteur
SVENON LENNÆUS.

KONUNGENS
Tro - Tjenare och Hof - Predikant,
Prosten och Kyrkoherden
Öfver Mariefreds Stads - och Lands - Församlingar,
HOGÅREVÖRDIGE och HÖGLÄRDE,
HERR MAGISTER,
C A R L E D S T R Ö M

Tilägnas detta Academiska arbete utaf
Desse

Ödmjukaste tjenare
SVEN LENNÆUS.



Homini esse moriendum, nec stabilem in his terris
ei esse sedem, adeo aperte experientia quotidiana
docet, ut etiam qui alteram post hanc vitam negent,
mortem tamen sibi subeundam in dubium vocare non
audeant. Cujus subeundi de tempore a Deo constituto,
cum eadem tamen omnibus non sit opinio; operæ pre-
tium nos facturos existimamus, si sanæ rationis ductu,
pro virium tenuitate ostendere conemur, quid in hac
causa in unam alteramve partem parum aut nimis esse,
sit putandum. Specimen igitur Academicum edituri, hanc
elegimus materiam, quippe quam & studiorum nostro-
rum generi accommodatam, & L. B. haud displicituram fo-
re putavimus; cujus jam censuræ conatus nostros mode-
ste subjicimus.

§. I.

Terminum vitæ, seu momentum illud, quo omnia
corporis nostri organa a functionibus suis cessabunt, sin-
gulis hominibus pro diversitate causarum vel naturalium
vel moralium, diversum contingere, indies experimur.

A

Nam

) 2 (

Nam ut taceamus veram vitæ nostræ brevitatem vel diutinatem ex usu virium vitalium esse æstimandam; multum quoque ad prorogationem illius efficere contendimus, si organis & humoribus bene dispositis accedat vitæ prudentia, sine affectuum tumultibus institutæ; si malignus aer aliaeque causæ noxiæ externæ vitentur, nec nimis non modo cibis, sed ejam sanitatem vel præservandi, vel læsam restituendi mediis artificialibus (s. medicamentis) suffocetur vel attenuetur. Nempe videmus illos, qui caute ac sobrie vivunt, vitam suam diutius agere, quam, qui intemperanter vivunt, aut qui nimium genio suo indulgent. Qui natura fautrice gaudent, eademque rite utuntur, de longa annorum serie plerumque sibi gratulari possunt; dum contra, qui fragile corpus a teneris afflictionibus sunt, vix paucos annos inter ærumnas mortemque transfigunt. Præterea vitæ spatium e regionum, pro aeris varietate vel temperie, majori minorive salubritate vel insalubritate multum pendere, multiplex docet experientia. Sic HERODOTUS narrat, Nili accolás in Aegypto perdiu vivere, atque ad centesimum usque annum vulgo pervenire, ob aeris scilicet constantiam, qui purus & saluber nulli fere varietati est obnoxius. Contra CICERO commemorat, aerem in Sardinia pestiferum esse. Quibus obiter observatis, sequitur, nos vel terminum a natura, pro constitutione corporis nostri nec non aeris regionisve salubritate determinatum, temperanter prudenterque viventes attingere; vel rationi non convenienter viventes breviorem nobis maturare; præterquam quod nobis ex inopinato prorsus rerum concursu, vel causis præternaturalibus, aliis sive brevior sive longior terminus nonnunquam obveniat. Quæ cum ita sint, e re nobis est, ut terminum vitæ humanæ in naturalem & præternaturalem, quin & supernaturalem, mox in limine distinguamus.

Deum omniscium, currīculi vitæ nostræ Rectorem, prævidisse aliorum cunas & tumulos valde esse contiguos, alios in media ætate de vita deceſſuros, alios denique ad seram senectutem perventuros; ut vel minima Dei cognitione naturali imbutum fugit neminem: ita aserti hujus, utpote satis confirmati, demonstrationem addere præter necessitatē fore putamus. Ideo tamen afferre hanc observationem voluimus, ut simul moneremus, præscientiam Divinam nullam vitæ nostræ termino necessitatē injungere, sed Deum prævidere tantum, quid nobis vel ex naturalium vel ex supernaturalium virium effectu, hoc vel illo momento sit eventurum. Nam ut objectum quodam, adspectui oculorum oblatum, nullam ideo mutationem subit, quod illud in præsenti jam videam, ita nec si in tali statu futurum prævidissem, vel minimam in objecto mutationem prævisio illa efficere posset. Præscientiam vero Divinam attentius considerantes, licet illam ad nostrum cogitandi modum, decretum Dei antecedere concipiamus, ab hoc ipso tamen non posse divelli, facile reperimus; nam quæ intellectus Dei perfectissimus vere esse futura cognoscit, ea voluntas Iesus vel efficere vel permittere, non potuit non decernere. Cum itaque tota vitæ nostræ scena regimini Ejus subsit; eodem momento terminum ejus adfuturum Deus decrevit, quo suas Iob causas obvienturn prævidit. Quibus positis, præscientiam decretis Divinis esse conformem mox appetit. Actum scilicet illum voluntatis, quo Ens ad aliquid agendum vel omittendum sese determinat, decreti nomine insignimus. Qui actus voluntatis Divinæ, ratione perfec-

tionum Divinarum vel effective vel permissive sese exserit, & pro indole voluntatis humanæ conditionalis est. Decretum Dei effectivum in omni bono producendo elucet; permisivum vero actiones hominum malas respicit, quas ob liberam voluntatem nostram physice non impedit. Conditionale decretum Dei causas secundas & nescium rerum universalem respicit. Quibus præmissis, quæ in quæstione hac de termino vitæ humanæ ibimus expofituri, evidentius patescunt.

S. III.

Ut nemo est, quin adhibita attentione facile perspiciat, providentiam Divinam ad omnes res, ne minutissimis quidem exceptis sese extendere; sic quoque circa terminum vitæ humanæ, singulari quadam ratione illam sese exserere, inficias iturum credimus neminem. Cum tamen ea sit ratio providentia Divinæ, ut communem naturæ cursum, & causarum secundarum ordinem, viresque agendi non impedit, sed concursu suo sustentet; terminum vitæ nostræ e viribus naturæ proxime pendere, affirmamus. Nam ut Deus vires hominis vitales, nec non quousque per illas juxta naturæ ordinem, accedente generali suo concursu vita protrahatur, ab æterno præscivit; sic quoque ab æterno constituit, tantum præbere influxum, quantum naturæ ordo postulet, vel donec vires naturales deficiant. Simul tamen cum Deus liberime agat, ordini huic non ita adstringi potest, quinetiam vitam humanam præter naturæ ordinem vel prolongare vel abbreviare posse. Inter plura enim Scripturæ Sacrae (ad quam in hac doctrina configere oportet) testimonia, Regis Ezechiae exemplum in primis hoc evincit, cuius vitæ terminum adesse, valde ægrotanti illi, iustu Dei Elias denunciabat; quem procul dubio naturalem constitutum,

Deus.

Deus precibus commotus Principis, in pietatis suæ remunerationem, adjectis annis XV, præter solitum naturæ cursum prolongavit. Verum Divinæ istæ circa vitæ prorogationem vel abbreviationem promissiones & comminationes, quas nobis Scriptura Sacra tradit, conditonate a Deo in actum semper perducuntur. Qui scilicet nobiscum agit, quemadmodum homines solent, foedera mutuo contrahentes; nam conditionibus propositis, si hæ vel rite vel perperam observentur, foedus inde vel integrum manet, vel in irritum cadit: pariter Deus quoque vitam hominis in præmium virtutis aliquando prælongat, virtuum operatoribus aliquando permittens, filum vitæ citius quam naturalis ferret ordo, abrumpere, cum quasi foedus propria culpa, & temere violaverint. Quam verum est, decretum a solo Deo aliquid de homine determinante pendere, tam certum quoque est, conditionem decreti ab homine esse præstandam. Namque decretum & conditio si ab eodem provenire principio, scilicet Deo omnino ponantur; quis non videt has res confundi, ita ut Deum nihil permettere homini faciendum statuatur, nisi apparenter tantum? Iisque frustra promissum obedientiæ offerretur, qui compedibus irretiti, illud nunquam amplecti possent.

§. IV.

Terminus vitæ cum vel in præmium virtutis, seu in commodum vel reipublicæ vel ecclesiæ, longior; vel etiam in tutelam a seditione impiorum, aliisve malis citius serius imminentibus &c., pio homini brevior obtingit; a decreto benignæ Dei voluntatis effectivo, mediisque ab illo peculiariter ordinatis illum dependere, existimamus. Quod si quis imprudentia vel temeritate mortem sibi matureret,

turet, vel naufragio, bello, vel latronum manu pereat; vel intemperantia, ebrietate & libidine morbos sibi paret mortiferos, vel ob facinus commisum capitis damnetur, vel ad desperationem adductus, manus sibi infert violentas, aliisve modis vitæ suæ filum præcidit; ex decreto voluntatis Divinæ permisivo hoc contingere putamus. Qua ratione de termino vitæ impiorum naturali, in poenam improbitatis illorum præciso, ratiocinamur; quod contingit, cum mortem modis supra dictis, ex permissione Divina sibi accelerant. Interdum quoque Deus terminum illorum naturalem prolongat, ut vel vitam suam corrigant, vel si peccata peccatis cumulant, gravius tandem puniantur, vel ut variis calamitatibus, poenam Numinis in hac etiam vita experiantur. In quibus licet judicia Divina rationi nostræ haud raro abscondita, sint; luculenter tamen eadem sese subinde produnt. Verum cum hæc obiter allata, satis constent; animus non est plura de hac re disserere: quin potius paucis quoque examinemus, sit ne terminus vitæ humanæ, quomodo cumque spectatus, conditionate semper a Deo constitutus?

§. V.

Quod ad terminum vitæ humanæ sive naturalem sive supernaturalem attinet, cum hominem quoque in causa ejus esse supra dixerimus; homini utpote libera voluntate prædicto, absolute obuenturum illum, merito negamus. Quod si ad præscientiam Dei ejusque decretum unice attendamus, supponendo scilicet Deum ab æterno præscivisse, hominem ad terminum vitæ suæ naturalem, causis secundis, generali concursu sustentatis, pervenitum, aut viribus naturæ juxta cursum suum solitum de-

deficientibus, de vita decessurum prævidisse, atque decreuisse; momento illo instante, ut homo moriatur necesse est. Verum si respectum quem Deus ad ordinem causarum secundarum, hominisque temperamentum, nec non cautam causarum, mortem accelerantium, declinationem habet, simul spectemus; non nisi hypothetice necessarium mortis terminum esse, reperimus. Nam præterquam quod Deus ad liberum hominis delectum mediorum ad terminum hunc tendentium respexit; a curu quoque naturæ recedere, & alium quam ipsa natura determinat, terminum vel positive vel permissive constituere, utique potuit. Quibus admissis, terminum vitæ nostræ, sive tempus sive genus mortis respiciamus, respectu liberæ nostræ voluntatis, vi cuius vitæ nostræ æque parcere ac nocere possumus, absolutum esse, omnino negamus. At respectu decreti Divini certissimum quidem ac eatenus immutabilem esse vitæ terminum fatemur; idque propter certissimam & infallibilem suam futurorum contingentium præscientiam, hujusque cum sapientia, bonitate & justitia sua arctissimam conjunctionem: sed ideo tamen absolute necessarium & fatale esse, statuere minime licet.

§. IV.

Nec repugnat locus Jobi, qui in C. XIV. V. V. dicit, determinatos esse hominis dies, numerum mensium ejus penes Deum esse, terminum ej a Deo statutum, quem non transgredietur. Nam duo Jobus observat momenta, in communi hominum conditione obvia, infirmitatem scilicet & brevitatem vitæ humanæ: qua communi humana conditione motus, Deum enixe precatur, ut rigo-

goſem ſuum" remittat, ac ſibi tot ærumnis dilacerato, fit propitiuſ. Adeo ut Jobus nihil aliud heic intendat aſſerere, per nemoratas illas vitæ humanae limites, niſi quod verſu primo ejusdem capitilis jam dixerat; ſcilicet hominem ex muliere natum, paucos dies, atque miferiis plenum vivere. Quibus ſenſum quoque congruum fundunt verba, quaꝝ in Pſ. XC. v. X. leguntur. Quaꝝ Theologi accuratiuſ explicant.



